



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XXXV. Ægrotos alijs quoq[ue] præbere occasionem patientiæ &
castitatis exercendæ, quæ est decima septima morboru[m] causa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

C A P V T X X X V.

Aegrotos alijs quoque prabere occasionem patientia & charitatis exercenda, qua est decima septima morborum caussa.

Morborum, alij quidam contagiosi sunt, quidam salu-
tares. Contagiosos esse & palabundos ac fluentes, ne-
mo ignorat: salutare, nemo somniat. Et sunt tamen
multis multi, etiam aliorum morbi salutare; raro quidem, si
corpus aspicias, nisi quod illud ab alijs aegris occupetur, atque
inde vitæ sustentandæ lucrum reportet: animæ tamen aegrotis
seruientium morbi plerumque profunt. Quippe ni hoc chari-
tati faciat Deus, cum aegrotis ipsis multa indulgeat Mundus?
Dolent cum dolentibus. Visitat frequentius. Assidet lecto. Al-
loquitur amicus. Iuuat auxilijs, consolatur verbis. Sed lex
quoque extat, apud Gellium: *Si in jus vocato morbus auitasue vi-
tium est: qui in jus vocasset, iumentum dato.* Et alia, apud Vl-
pianum etiam: *Si iudex, vel alter ex litigatoribus, morbo fontico
impediatur, dies iudicij differus esto.* Sextus Cæcilius, apud Gel-
lium, putat, Decemuiros morbum fonticum appellasse, morbum
vehementiorem; & apud Festum Ælius Stilo ait, Morbum fon-
ticum in XII. Tabulis significare certum, cum iusta caussa, qui
scilicet vim grauiter nocendi habeat: fontes enim & nocentes
idem sunt. Itaque nocentes morbi, hoc est, *fontici*, profuerunt
ab actione iudicij excusantes. Habent sua priuilegia & solatia
aegroti; cur sua mercede careant, qui seruiunt aegrotis? Neque
loquor iam de mercede pecuniaria. Maius est, habent exempla
& exercitia patientiæ; habent meritum charitatis.

Quamquam etiam morbi multi in alios contagium spar-
gunt impatientiæ; qui, cum vxore Iobi, aegrotis insultant, nec
secus queruntur, ac si ipsi aegrotarent. Itaque repetunt illud
ex Græcis: *Quod in diuturnioribus malis usu venit, in ore habent:
Quam diu hic non moritur? Quid pondus graue atque inutile haret ter-
ris? Etiam nunc hic Tartarus viuuit?* Expertus est id David cum
aegrotaret, & expressit his verbis: *Inimici mei dixerunt mala mihi:* Psal. 40. 5.

A a a

Quando

I.

A. Gellius
lib 20. cap. 1.
Vlpian. lib. 2.
Pandect.

II.]

Quando morietur, & peribit nomen eius? Et si ingrediebatur, ut videret (si veniret, ut visitaret, ait S. Hieronymus) vana loquebatur, mentiens, quasi salus mea illi in votis esset, cor eius congregavit iniquitatem sibi: egrediebatur foras, & loquebatur in idipsum. Quid quòd apertè, & in faciem infirmi, quidam non erubescunt impatientias suas expuere? Et quàm diu, inquirunt, agrotabis? quàm longinquus denique erit morbus iste? vel convalesce, vel morere. Quoties tibi vigilandum? quoties noctu surgendum? quanta in medicos, quanta in medicinas impendenda? Tota domus tecum occupatur. Et quando tandem hac nos molestia liberabis? quando è lecto surges? Et audiuntur, in nosocomijs, ipsi Præfecti ægrotantium,

Plaut. Rud. 2. qui dicant: Quando locum alij dabis? Pulmonem ad eum nimis velim vomitum vomas: Item quæ, in anginam ego nunc me velim verti, ut Idem Most. venefica illi Fauces prehendam, & enecem. Ita cogitant, ita loquuntur non pauci, immemores condicionis suæ. Si enim & se senio, aut ægritudine aliquando alijs fore odiosos cogitarent, parcius vtrique eiusmodi cauillas seminarent; neque Lazarum, ante fores, jacentem destituerent, aut canibus curandum linctuque fouendum relinquerent. Alcè in cælum ascendens vox est, si æger clamat: Domine, hominem non habeo. Totos dies, totas noctes in febribus jaceo, æstuo, sitio, deficio: non est, qui me visitat; non est, qui me, in lecto, vertat; non est, qui mihi, de mensa sua, micam tribuat; aut mittat, quod vel canibus è patina offert elambendum. Talibus non dicet Christus: Infirmus eram, & visitastis me; sed: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius; esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus & in carcere, & non visitastis me.

III.

Alijs ergo morbi aliorum sunt salutare, quando in charitatis ac patientiæ illis sunt occasionem. Sic Ioas Israëlitarum rex Eliséum Prophetam ægrotum visitavit. Sic ille vel ex regio genere, vel quòd regiam dignitatem gerebat, dictus *Regulus*, cuius filius infirmabatur, filij causa; & Centurio, serui causa; ille per se, iste per alios, nempe per seniores Iudaorum (ut Lucam cum S. Augustin. Matthæo conciliat S. Augustinus) Christum adiuit, illum ergo filij,

Ioan. 4. 46.
Matth. 8. 5.

S. Augustin.
lib. 2, cap. 20.

filij, hunc serui morbus, ad prouocandam illis sanitatem excitauit. Qualis charitas etiam fuit eorum, qui ad Christum venerunt ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur. Et cum non possent offerre eum illi, pra turba, nudauerunt tectum, ubi erat: & pateficientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat. Magnus labor, magna fides, magna charitas. Sed supra hos omnes eminet Samaritanus, cuius misericordia in ruborem dedit, non Leuitam solum ac Sacerdotem illum Iudaicum, sed multos etiam Christianos Clericos & Religiosos, qui violenta dissimulatione multos praetereunt, quibus opem ferre oporteret, aut suppeditare consolationem. Inciderat homo, in latrones, qui etiam despoliauerunt eum: &, plagis impositis, abierunt, seminino relicto. Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet, eadem via: & , viso illo, praeteriuit. Similiter & Leuita, cum esset secus locum, & videret eum, pertransijt. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: & videns eum misericordia motus est. Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum: & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. Et altera die, protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcumque supererogaueris, ego, cum rediero, reddam tibi. Pudendum est, multos Samaritanos, multos Ethnicos & Barbaros saepe magis tangi miseratione sauciorum, quam Christianos. O quoties, finito proelio, fugatoque hoste, semiuiui milites sparsim in sanguine suo, atque inter truncata cadauera jacentes, opem auxiliumque postulant; sed praetereuntur ab illis, qui praedae inhiant, & nihili faciunt lucrum animarum, aut meritum charitatis! quasi officium militis esset, spolia legere, negligere charitatem.

Non sic Deipara, magna illa misericordiae Mater, quae, ubi intellexit, Elisabeth cognatam suam vterum gestare, exurgens abiit in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariae, & salutauit Elisabeth. In quae verba D. Ambrosius ait: Discite & vos sancta mulieres sedulitatem, quam pregnantibus debeatis exhibere cognatis. Et faciunt feminae honestiores, quae multis solent vel vicinis, vel cognatis, vel familiaritate junctis partu laborantibus, aut graui morbo periclitantibus sup-

A a a a

petias

de consensu
Euang.
Marc. 2. 4.

Luc. 10. 33.

IV.

Luc. 1. 33.

S. Ambrosii
lib. 2. in
Lucam.

Marul. lib. 1,
cap. 5.

petias ferre. Quædam inter delicias ponunt, posse succurrere calamitosi; posse aliquid obsonij submittere; posse lauare sordidos; pectore horripilantes; quod de Radegunda, quod de Verena legimus, & magna illa Anastasia. Brigida abbatissa, minorem se ijs, quibus præerat, exhibebat. Quasdam in monasterio longa inualetudine oppressas, ut saltem squallore leuarentur, lauari iusserat: sed ancillis, sororibusque ceteris cunctantibus, protinus ipsa accedens lauit, tantumque humilitas Abbatissæ valuit, ut illæ lotæ è vestigio sanarentur. Tres erant, diuersis infirmitatibus laborantes, paralytica, dæmoniaca, leprosa. Magnum miraculum fuit, tales languores curasse; sed non minus mira extitit humilitas, sic affectas lauisse. Ita Marulus. Qui etiam illud addit: Elisabeth regis Pannonum filia, & Ludouici Landgrauij Thuringiæ Principis conjux, mendicum, infirmum, squalidum, olidum, suo recipere sinu, suisque manibus crinem illius pectere, tondere, caput lauare, totum corpus, quantum licuit, à pedore sordibusque vindicare non erubuit. Multos præterea eiusdem sortis pauperes visitare, benignè consolari, ad patientiam exhortari, cibos porrigere, potum propinare, modis omnibus opem ferre, & vlceratorum plagas contrectare, tegere, linire, circumligare; & si quando fasciæ deficerent, sui capitis velamento inuoluere. Defuncto marito, cum multorum pauperum capax construxisset habitaculum, semet illis in ministerium dedit. Ibi puerum quemdam ventris profluuiio laborantem, ipsa in suis vlnis, ad exonerandam aluum, etiam noctu consurgens, pluries portauit. Ibidem mulieris leprosi curam habens omnia illi libenter præstitit, officioseque ministravit, quæ ipsa per infirmitatem non poterat. Post hæc non est passa se ab ancillis vocari dominam, sed sororem; & eis aliquò de industria emissis, ipsam interim munus usurpabat, vasa lauando, coquinam parando, pauimenta verrendo, vtenilia suis disponendo locis, ceteraque diligentius exequendo: ancillis etiam se humiliorem fecerat. Numquam ad tantam humilitatem descendisset, nisi prius ardentissimæ charitatis seruore medullitus incaluisset. Nihil quippe tam paruum, aut tam vile est, ut id se ducat indignum, qui perfectè diligit. Huc vsque Marulus. Illustrè

stare illud est de Alphonso Aragonio Siculorum rege, qui apud Panormit.
Iuliani templum, juxta Neapolim, militem grauiter in proelio lib. 3. de reb.
vulneratum videns, suo sudario vulnus eius obligauit. Cum ve- gestis Al-
rò nullam spem vitæ præsentis haberet, ad beatam, & immor- phonfi.
talem hortatus est: mortuumque sepeliri diligentissimè curauit.
Sed, ne nostro æuo deesse exéempla videantur, veniam ad recen-
tiora.

Maria Victoria, vidua facta, charitate ardens, occasionem V.
quærebat charitatem exercendi. Et inuenit domi forisq̄ue. Au- Ferdinand.
dierat aliquando miserabilem, è vicina domo, eiulatum; ad Meltio lib. 1.
quem, relictis alijs rebus omnibus, aduolans intellexit, esse vitæ illius
eum eiulatum mulieris, in partu, periclitantis, quæ iam complu- cap. 5.
res dies fortum non poterat eniti, hoc ipso pro mortuo habitum.
Iubet laborantem paululùm à conatu quiescere Victoria. Interea
ipsa in lipsanothecam, in qua S. Crucis particula continebatur,
inclinata, DEVM pro periclitante orat; nec diu factum est, cum,
illâ preces fundente, puerpera partum fudit, puerum & crucis
virtuti, & Victoriæ ascriptum pierati: quæ postea multis diffi-
culter parientibus, eandem S. Crucis particulam mittere roga-
ta, apud plerasque crucem cruce pepulit.

Sed vt de ægrotis bene merendi occasionem etiam domi VI.
suæ haberet, amisso per mortem marito, filius quoque illius co-
pit ægrotare, & quidem per quatuor aut quinque continuos
annos, donec viuere simul, & ægrotare desineret. Quo in morbo,
plus quàm matrem se ostendit. Omnia enim abjectissima non-
dedignata est ei præstare; neque passa est vllam ancillarum fo-
mentum aut emplastrum ei imponere. Multùm fecisset alia
mater, si tam diutino gnati morbo non fuisset fatigata, aut in
impatientiam data. Hæc etiam gauisa est exercitio patiendi.
Quamobrem, eo defuncto, non tam luxit, quòd filium Angelicæ
propè innocentia parem, sed quòd ægrum amisisset, cui seruien-
do ipsa meritum cæleste potuisset sibi præmiumque locupletare.
Morbum enim illius, lucri sui spiritualis agrum esse arbitraba-
tur. Cuius virtutis ansam illi etiam mater illius præbuit, sed
præcipuè quoque sociarum omnium charissima *Petronilla du*
Passage, quæ, longo tempore DEVM orauerat, vt graui morbo,

in hac vita, Purgatorij sui poenas pensare posset. Beneficij enim loco, posuit, ægrotare, & huius vitæ cruciatu luere, quod in alteram vitam dilatatum longè sciuit causam esse suppliciorum, acerbiorum. Exaudita est; & ad Iobi imitationem, vlcere pessimo percussa. Et quamquam vlcus illud vnicum erat, tamen grauissimum fuit, quippe quod ori infederat. Quam ob causam non solùm summa erat illi cibi sumendi difficultas, sed etiam nõ sine magno dolore loquebatur. Et quàm molestè illi acciderit ea plaga, vel inde intelligi potest, quòd ijs, qui cum ea sermocinabantur, nauseam vomitumque mouerit. Durauit hæc crux vsque ad mortem Petronillæ, quæ eam equissimo semper animo tulit. Patientiæ & coronæ indicium fuit, quòd grauissima illa oris mephitis, post mortem, in suauissimum illico, ac velut Elysiu odorem fragrantiamque fuerit commutata. Hunc Petronillæ morbum atque hanc intolerabilem alijs camerinam Victoria arripuit in vsuram charitatis & tolerantie prouentum. Nam vsque ad extremum spiritum illi adfuit, dies noctesque inaudito patientiæ ac perseuerantiæ exemplo verbis eam, consilijs, & seruitijs consolans. A qua meritò discunt filia parentibus; filij parentes; subditis superiores, & sani agris succurrere. Siquidem si nulla alia esset morborum causa, hæc sufficeret, vt mortalibus causa patiendi & succurrendi suppeditetur. Ideò alijs ægrotantibus, alij valent, vt inualidis exhibeant charitatem; faciantque, quod sibi fieri vellent, si ipsi decumberent; aut quod fieri volent, cum decumbent.

VII.

Quidam, in hospitali domo, aut Valetudinarijs, exigua pecuniolæ causa, non horrent foedissimo morbo laborantibus ministrare. Longè maius lucrum in celo repositum est ijs, qui sola charitate tracti astare ægrotis, eisque inferuire non detreterant. Quamquam idipsum magni ab ijs faciendum est, quòd in ægrotis ipsi Christo seruiant, qui sæpius ægroti forma se se misericordibus obtulit. De Martyrio D. Gregorius narrat, eum signo crucis panem fecisse crepantem; alij memorant, eum leprosum humeris susceptum ad cœnobium apportasse; iamque non procul distantem clamasse: *Accurrite citò, fratres mei, & portas reserate: frater enim Martyrium Christum Dominum vobis apportat.*

S. Gregor.
lib. 1. cap. 11.
dialog.

portat. Hæc cum dixisset vocaliter, respondit leprosus: *Martyri, quia me non erubuisisti, in terris, neque ego te, in calis, erubescam.* Et cum dicto euanuit, non leprosum se, sed ipsum fuisse Christum significans. Nempe quidquid ægrotis fit, amore Christi, Christo fit olim dicturo: *Infirmus eram, & visitasti me.* Consimili euen. Matth. 25. 36.
 tu, dissimili exordio S. Iulianus leproso sese præbuit hospitem, cuius historia cum sit mirabilis autoritate est firmanda. Sed, ante omnia, evertenda est eorum opinio, qui suarum virium modulo omnia metientes, quidquid audiunt mirabile, fictum esse atque fabulosum arbitratur; quasi diuinæ sapientiæ thesaurus, non altiora consilia & rationes habeat, quàm humana simplicitas assequi possit; aut quasi non soleat esse *mirabilis Deus in sanctis suis*, quibus non rarò extraordinarijs modis conciliat auctoritatem, eaque ipsa reprobentia suæ arcana mortalibus manifestat. Eiuscemodi criticorum nimis sapere volentium incredulitate insuper habita, cum sancto rege dicam: *Narrabo omnia mirabilia tua.* Neque altera me, quæ potest afferri, obiectio deterret, *Narrari scilicet, quod relaturus sum, in Gestis Romanorum, libro utique fabuloso.* Nam etsi inibi narretur, narratur tamen etiam alibi: haberem pro fabula, si inibi solùm narraretur, sed fidem illi facit alius & nominatus & eruditus author. Mos verus est, ut fabulis historiæ misceantur: neque omnia, quæ à fabulosis scribuntur, sunt fabulosa. Alioqui ne Roma quidem esset, quandoquidem ea sæpius à Marone alijsque Poëtis decantatur. Narrandam igitur historiam in hunc ferè modum refert idoneus Psal. 67. 36.
 Author. Psal. 9. 2.
Petrus in Catalogo lib. 3. cap. 56.

S. Iulianus cognomento *Hospes*, venatione in abdita silvæ abductus, ceruum sequebatur, à quo cum iam non procul abesset, eum sagitta icturus; conuertit se se repente fera, atque inusitato prodigio, instar asinæ Balaam, loqui cœpit, ei que parricidium prædixit. Quippe disertis verbis significavit, fore, ut parentes aliquando ipse suos perimeret. Perculit insolita vox juvenem, & criminis magnitudo; quod ut vitaret, fugit, patriamque ultro neus exul deseruit. Sed non poterat diu indoles latere. In Principis cuiusdam aula ita se advena probavit, ut in militiam cum auctoritate missus, mox etiam in belli ducem promoueretur.

VIII.

tur. Quo in munere ita se gessit, vt hostem arte, Principem suum virtute caperet, à quo multis opibus auctus, prædiuitem viduam in coniugem duxit, cuius etiam in splendide structa arce habitauit. Interea solliciti eum parentes, omnibus in terris quæsiuerunt; & cum neque litteræ, neque nuntij aliquid efficerent, ipsi varias terras peragrarunt, vt amissum charissimum filium reperirent. Non quiescit amor, donec amato potiatum, Quod & his parentibus contigit. Siquidem non destiterunt ab itinere, donec ad supra dictam arcem peruenirent. Mirabilis ibi lætitia inuenientium fuit, & grande gaudium matrisfamilias, Nam nurus sola domi fuerat, marito ad alium locum, ex negotio, profecto. Excepit ergo gratissimos hospites bona nurus mensâ, quàm potuit, lautissimâ, & vt nihil honoris omiseret, in suo sui que marito lecto ambos collocauit. O quàm mirabiles in terris casus eueniunt? quanti sæpè è summis lætitijs luctus existunt? Paulò diutiùs in posterum diem quiescebant fatigati ex via parentes; quibus dormientibus, nurus se tantò maturiùs è lecto proripiebat, itabatque ad templum, Numini pro tam operatorum hospitem aduentu gratias relatura. Ea domo egressa, atque in templo versante maritus eius, prima luce, domum reuersus, rectà cubiculum adiit, coniugem salutaturus. Et ecce, inexpectata res se illi offert, reperit in suo lecto, duos cubantes, Quid aliud suspicaretur, quàm se vxorem in adulterio deprehendisse? Zelo excandescit, & cum animo manus fertur in vindictam. Stringit ferrum, & tamquam si nouus Phinees esset, vtrumque momento confodit, sinitque in sanguine & lecto volutari. Neque vltra inspiciens, quem peremerit, quasi egregio facinore perpetrato, è domo in publicum prouolat, omnibus injuriam vxoris & vindictam suam prædicaturus, Numquam apparuit magis, quantis erroribus temeraria consilia exponantur. Vix pedem extra ædes posuerat, cum ei, audito absolutoque Missæ sacrificio, redux vxor obuiam venit, quam existimauerat, à se interfectam in toro jacere. Expalluit eius intuitu, & adhuc distantiorem, sciendi aueritate, clamosiùs, quàm tales in publico decebat, interrogauit: Ecquisnam igitur, domi in thalamo suo, cubaret? Cui illa, lætanti voce & gestu, indicauit, parentes illius

illius peregrè aduenisse, quos censuerit, eo honore afficiendos, ut ipsis & lectum cederet. Fulmine percussus dixisses heroici alioquin animi virum, ita ad vxoris responsum fuit externatus: atque è vestigio domum recurrens, reperit parentes suos à semetipso cæcos è vulnere iam expirasse, quos tamen vel in emortuis vultibus agnouit. Explicari non potest, quanto dolore, tam tristem casum luxerit, quot gemitus ad cælum effuderit; quantis lachrymarum nimbis parricidium suum deplorarit, erroremque sit detestatus. Nempe hoc erat cerui loquentis vaticinium? inquiebat. Immodò non vaticinium, sed admonitio erat, ut cauerem? Hac causa fugi, sed non effugi. Ut fugerem, monuit per ceruum DEVS; ut non effugerem, iuuenilis impetus fecit. Ite iuuenes, ite zelotypi; & meo exemplo, quidquid subitus furor dictat, præcipitate. Hic fructus est iram in promptu habentium. Hoc temerariæ suspitionis emolumentum. Vno facto tres vulneraui. Nam & innocentiam vxoris atroci iudicio temerari; damnari enim non quod illa fecit, sed quod calumnians animus meus illi imposuit. Itaque cum coniugem vellem plectere innocentem, per latera parentum meorum, furiosa manu, gladium trajeci, ut illis vitam adimerem, à quibus vitam accepi, iacent illi, hoc habent; quod non meruerunt. tantò inexpectatiùs, quantò cupidiùs vires à via lassas quiescendo restaurare, non amittere voluerunt. Ita ergo ego parentum meorum factus sum carnifex. ita illis vitam ademi, à quibus accepi. O infelix mater, quæ in vtero tuo latronem tuum portauisti! ideò lacte tuo me aduisti, ut tandem & sanguinem tuum haurirem! O calamitose pater, qui non filium tibi, tot ac tantis sumptibus, sed carnificem educaisti! Nempe hoc sperare possunt miseri parentes, ut tandem à prole sua crudeliter interficiantur, postquam omnia beneficia in eos cumulauerunt! Sed ô me omnium ærumnosissimum, quia scelestissimum, cum ego eiusmodi proles sim, non Æneæ, sed Neroni comparanda, immò præferenda. Quippe qui patrem interemi, & matrem necaui; & quidem patrem matremque mei tam amantem. Quantus enim amor, deserta domo, relicta patria, ire per ignotas regiones, & amissum filium querere? Quæsiuistis, ô charissimi parentes, filium, reperi-

rīstis sicarium; qui nō hospitio, sed gladio vos excepit. Diomedis
 hæc hospitalitas. Ad Caucasum, non ad filium venistis. Verum
 est, ignorantia interuenit; nec enim sciebam vos meos esse pa-
 rentes. Sed quis me excusabit parentes non agnoscentem? Non
 occidissē, si præceps non fuissē. Prius iudicio, quàm ferro
 peccaui. Discite hīc, ò mortales, auribus non credere, si etiam
 oculi decipi possunt. Vidisse me putauī; & homicida, (quid di-
 co?) parricida factus sum. Discite, ò viri, discite, mulieres, ju-
 dicio non præcipitare. Falli potestis, non audiendo tantum,
 sed etiam videndo. Multos oculi frustrati sunt, qui se Argos esse
 existimauerunt. Hæc talia, ubi apud se deplorauit, ita in pœnam
 exarsit. Me verò parricidij duplicis reum, quibus supplicij pu-
 niam? Merui ensem, merui ignem. Sed non vult mortem pec-
 catoris DEVS, quem citius placabunt lachrymæ meæ, quàm
 sententia Magistratus. Scio consilium, crudelitate peccaui; mi-
 sericordia luam. Dixit, & opibus omnibus in egentes dispersis,
 relictaque arce, & titulis, & officijs, cum vxore sua ad eum
 fluuij locum migravit, in quo plurimi traijcentes solebant peri-
 clitari. Fluuium illum quidam Nilum fuisse scribunt, nam &
 arcem eorum ibi sitam, atque hæc, quæ narrari, in Ægypto, con-
 tigisse affirmant. Ad præripia igitur Nili casam piscatoriam
 ædificauerunt, in qua aduenas omnes exciperent, cibis famelicos,
 potu sitibundos, ac lecto lassos, ægros denique herbulis & nescio
 quibus medicamentis recrearent, gratisque per fluuium transue-
 herent, transire cupientes. Diu in eiusmodi officijs charitatis
 perseverauerunt, precibus diuinis, alijsque operibus pietatis sibi
 Numen placantes, & parricidium expiantes. Tandem etiam
 quidam lepra foedum in modum coopertus, media & hieme &
 nocte, ex aduersa ripa fluminis, auditus est miserabiliter vocife-
 rari, perire se frigore, neminem esse, à quo in vltiorem portum
 translatus foueatur. Numquam charitas dormit. Quocirca ad
 hanc vocem Iulianus illico se se è lecto erigens, coniuge quoque
 sequente, ad cymbam suam aduolauit, fluuioque trajecto rigen-
 tem pauperculum, ac vix, præ nimio frigore, stare valentem,
 vlnis exceptum imposuit in liatrem, atque in lares suos transue-
 xit. Calorem quoque, excitato foco, & vires illi restituit, ap-
 posito

posito cibo. Neque satis habuit, hæc fecisse; sed insuper lectum illi suum vxorisque suæ (ad exemplum coniugis ita antea parentes ipsius honorandos arbitratæ) apparauit, & ipse humi cubitans, in necessitates hospitis tam malè valentis, vigilauit. Paulum temporis quienerat leprosus, cùm cœpit, carbunculi instar fulgere, ac mirifico splendore conclaue totum perfundere. In hac luce & ipse iam, velut roseus iuuenis refulgens, cælum conscendens, venisse se dixit, vt illi significaret, *remissum esse peccatum illius*. Paulò post Iulianus & coniux pia morte defuncti, ab eo, in cælo, excepti sunt, quem, quia, in terris hospitem habuerunt, *Hospitum* nomen iure meruerunt.

Credibile est, multa Dei iudicia, hæc vna historia esse hominibus patefacta. Nam quis scit, an non Iuliani parentes nimio filij amore, deliquerint? *Confusio patris est, de filio indisciplinato*. Indisciplinatum fuisse, inde quis coniecerit, quòd relictis alijs vtilioribus negotijs, eum permiserint, instar Esau, vitam venatoriam agitare, idoneum, qui bono publico vacaret. Vnde & inter venandum, & à ceruo prodigiosè loquente est admonitus. Certè, *Qui diligit filium suum, asiduat illi flagella, vt latetur in nouissimo suo. In vita sua vidit, & latatus est in illo: in obitu suo non est contristatus*. Sed meliora vt cogitemus, suadet Iuliani fuga & sollicitudo, qua parricidium conatus est declinare. Minus vaticinantis cerui prædictionem formidasset, si malè fuisset educatus. Bona autem educatio, bonorum est parentum non debile argumentum. Interim tamen & boni parentes nauos habere possunt & peccata, quibus, in diuinis oculis, ab ipsis filijs plecti mereantur. Debet filijs amorem mater: debet curam nato pater. Nimius tamen amor, & nimia cura transit in vitium à Deo puniendum. Potest amissa soboles quæri, quippe cùm Christum quoque eius Mater & Iosephus quæsierint amissum; sed *requirebant cum inter cognatos & notos; & quærebant puerum*. Officium hoc erat materni & paterni nominis, non affectus carnis. Fuit & amissa Proserpina à Cerere

Omnibus in terris, omni quaesita profundo,
fuit & Osiris quaesitus, sed sacrilega religione. Potest ergo quæri aliquis piè, vel impiè. Quare & Iulianum parentes bona, vel

IX.

Eccli. 21. 3

Eccli. 30. 1.

Ibid. v. 5

Luc. 2. 44.

mala mente quærere quierunt; quemadmodum multi parentes filios suos non rarò quærunt, vt eos vel à ganea abducant, vel è religioso ordine ad mundi vanitatem retrahant, quos plerumq; postea habent vitæ suæ, si non carnifices, saltem tortores. Sed demus, nihil quaesierint Iuliani progenitores cum peccato; quis credat fuisse adeò innocentes, vt diuina iustitia nihil in eis reperit pœna dignum? Et forsitan hæc ipsa pœna beneficium extitit: cum leuissimo Purgatorio, nulla violenta mors sit comparanda.

X.

Sed hæc disputare non est huius loci. Illud, illud hic iterumq; iterumq; monebo, quanti sit, apud Deum, meriti, miseris succurrere, ægrotos eiulantes non surda aure transire; eos, si adsint, non amoliri; si absint, accersere, in tecta tua inuitare, ijs necessaria ministrare. Hoc est, quod Isaias ait: *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Nullum hic faciendum est discrimen, Notus sit, an ignotus, homo est, quem in via inuenis saucium. Impone illum iumento tuo. Deporta ad hospitium, & curam illius haberi jube. Caro tua est, tuæ est naturæ. Nonnè vides, canes ipsos, si in venatu læsi sunt, lingi à canibus? bestia curat bestiam, & hominem homo negligit? In Vitis Patrum, frater aliquis interrogauit senem quemdam dicens: *Si videro fratrem, de quo audiui aliquam culpam, non possum suadere animo meo, vt introducam illum in cellam meam si autem videro bonum fratrem, ipsum libenter suscipio.* Et dixit ei senex: *Si facis bonum fratri bono, illi parum, alteri duplum impende: ipse est enim qui infirmatur.* Et plus facis, si facis aliquid ei, erga quem afficeris minùs. De magnis benefactoribus cum ageret Seneca, ista scripsit. *Quid assedisse agro, & cum valetudo eius ac salus momenti constaret excepisse idonea cibo tempora, & cadentes venas vino refecisse, & medicum adduxisse morienti? Hac quis astimabit? quis similibus beneficijs jubebit beneficia pensari?* Apud Xiphilinum, & Dionem Niceum, Cn. Pompeius Magnus, cum, post bellum cum piratis gestum, in Asia non tantùm Mitridatem Armenia Regem potentissimum vicisset, sed fugasset etiam penitus: urbem Nicopolim in eo agro, in quo victoriam peperit, ædificauit: in eaque saucios

Ma 38. 7.

Heribert.
Rolvveid 1,5
de vitis PP.
libell. 17.
n. 23.

Senec. lib. 3.
de benef. c. 9.

faucios milites, & eos, qui jam per ætatem bellum gerere non possent, habitare iussit. Tanti Ethnicus vel senio, vel morbo graues fecit. C. Iulius Cæsar, teste Suetonio, C. Oppium valetudine subita correptum, in itinere non dereliquit, sed humi ac sub dio cum eodem aecubuit. Tiberius Cæsar Rhodi omnes egros notos & ignotos visitauit. Sed longè magis nõrunt æstimare pretium charitatis, in schola Christi versati. *Quidam frater requisit senes, dicens: Si duo fratres in una sunt cella, & ille quidem vnus sex diebus integris ieiunat; ille autem alter infirmitati facit obsequium; cuius ergo opus maius est apud Deum? Respondit senex: Si ille qui ieiunat sex dies, per nares se suspenderit, non erit similis illi alteri in conspectu Dei.* Bona sunt ieiunia, bonæ vigiliæ, bonæ orationes, bonæ corporis afflictiones: sed maior horum est charitas.

Heriberti
Rolyveid. l. 7.
de vitis PP.
cap. 19.

Ad quem autem pertinet hanc exercere charitatem? Vno verbo respondet Christus: ad proximum: *Et quis meus est proximus?* inquires. Hoc ipsum quoque docet Christus in parabola Samaritani. Quamquam non sunt tantum proximi charitate, sed etiam obligatione. Samaritanus proximus fuit charitate, Sacerdos, & Leuita proximi erant obligatione. Erubescendum est, sæpe eos minus facere, qui deberent ex officio facere; & alienos esse domesticis liberaliores. Parentes filijs, filios parentibus agris succurrere debere, naturæ lex est. Idem lex matrimonij iubet, de qua re luculentum sanè coniugalis charitatis exemplum alibi dedi, in Clara Ceruenta Bernardi Valdauræ conjugæ, quod et si & huc spectet, hinc tamen non est repetendum. Sed id maximè etiam pertinet non solum ad seruos & ancillas erga dominos & dominas, verum ad ipsos etiam heros & heras erga famulos & famulas, ne eos eiciant è domo ægrotantes, quos libenter habuerunt validos & laborantes. Quæ ista est immititas? quæ inhumanitas, claudos, debiles, infirmos, qui in domum inducendi essent, ex domo & tectis expellere? Christum ipsum à vobis, ô inhumani, expellitis, à cuius vestigijs nimis longè abestis. Suscepit ille infirmos, curauit, sanauit. Quod neque Angeli officium detrectauerunt.

XI.
Luc. 10. 29.

Tom. 2. de
Iudicijs, quæ
Deus exercet
in hoc mun-
do. cap. 24.
§. 9.

Ægrotant aliquando senex quidam, qui solitarius habitabat:

XII.

Bbb 3

& Heriberti.

Rosveid.
lib. 5 vit. PP.
Ebell. 7. c. 44.

Indith. 6.

Iean. 10. 11.

Math. 23. 3.

& quia non habebat, qui ei seruiret, surgebat, & quodcumq; inuenisset in cella sua, manducabat. Et cum aliquot diebus ita fieret, nemo veniebat ad visitationem eius. Transactis autem triginta diebus, & nullo veniente ad eum, misit Dominus Angelum suum, qui ministraret ei. Et cum sic fieret per septem dies, recondati sunt Patres, & dixerunt ad invicem: Eamus, & videamus, ne forte infirmetur ille senex: Cum ergo venissent, & pulsassent, discessit Angelus ab eo. Senex autem de intro clamavit: Discedite hinc, Fratres. Illi autem leuantes à cardine ostium intrauerunt, & interrogarunt eum, quare clamauerit. Et ille dixit: Quia triginta dies habui laborans infirmitate, & nemo me visitauit; & ecce jam dies septem sunt, ex quo Dominus Angelum misit, ut ministraret mihi, qui, cum venissetis, recessit à me, Et hac dicens dormiuit in pace. Fratres autem mirati sunt, & glorificauerunt Deum, dicentes, quia non derelinquit Dominus sperantes in se. Nimirum hoc est, quod alibi dixi: aliunde desertos, DEVS non deserit, qui vel per Angelos succurrit, quando homines hominibus desunt. Ac mirum est ab Angelis ministrari ægris, immò ab ipsa Dei Matre, ab ipso Christo; & homines esse, qui id officium, tamquam nimis humile, aut etiam periculosum, deuitent. Illi autem vel Angeli sunt, vel Angelos imitantur, qui ægrotis succurrunt; seu in corporis, seu in animæ necessitate. Quales sunt præcipuè illi, qui peste laborantes, non horrent adire, vt eorum confessiones excipiant, vt sacrum illis viaticum porrigant, vt ad supremam luctam eos inungant. In his vera est charitas. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis; neque animam suam facit pretiosorem, quàm se, suamque vitam libenter exponit, pro corona sua & suorum. Quòd si etiam Pastor non est, tamen frater est, quis dubitet fratrem fratri adminiculum, in necessitatibus debere? at fideles inter se fratres esse, testatur Christus: Omnes autem vos fratres estis. Horror inest his officijs! Vix tantus inesse potest horror, in spiritualibus, quantus inest, si vlcera ipsa sint tractanda, si morosi & impatientes, dies noctesque mouendi, leuandi, portandi, obligandi, blandissimis verbis consolandi, & tamen, spe præmij cælestis, & amore DEI ac proximi, quid non fecerunt quidam? De quibus necessariò est exemplum vnum alterumue, aut etiam tertium recitandum.

CAPVT